

Novum rectoratus cum
honore onus, in
reverendissimum dn.
Enevaldum Svenoniu...

Svenonius, Gabriel Enevaldi,

1 Ic 1685 Svenonius, Enevaldus



National Library
of Sweden



NOVUM
RECTORATUS CUM HONORE ONUS,

In
REVERENDISSIMUM

**DN. ENEVALDUM
SVENONIUM,**

S. S. Theol. Doct. celeberrimum.

In Illustri hoc Athenæo Aboënsi ejusdem Faculta-
tis Professore Excellentissimum,

Nec non Ecclesiarum, quæ ABOË & in Nummis colligun-
tur Pastorem meritissimum, Patrem charissimum,

Solenni pompa in templo Cath. Aboënsi 25. Junii

Anno 1685. translatum.

Inter tot acclamantium vota simplici stilo
gratulatur.

FILIORUM TRIGA.



Exc. apud JOHANNEM L. WALLIUM, A. T.



Praclare Poëtarum ille Princeps Homerus ait :
Καλὸν ἀριστεύειν, καὶ ὑπέρροχον ἐμμεῖναι ἄλλων. Pul-
chrum sanè, si quidquam in hoc universo.
Quid enim pulchrius, quàm unum imperare,
leges ac jussa ponere, reipublicæ habenas mo-
derari, justitiam administrare, subditis denique suis quietem,
& sæculo, in quo vivimus, tranquillitatem largiri: Divi-
nitas quædam videtur hæc dignitas, ab uno nempe capite,
tot capita coerceri, & universam illam multitudinem, in-
quietam, discordem, turbulentam, leniter redigi sub com-
mune quoddam obedientiæ jugum, sine quo nec domus ul-
la, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus sta-
re, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Tum
demum enim beata est respública & felix, quum habet a-
liquem, qui illam fræno gubernationis tenere possit. Qvip-
pe illam multa alligant, multa debilitant, diu in vitiis jacet,
eludere illam difficile est. Nam adeo inquinata est & infe-
cta labe malorum. Si vero caremus rectore aliquo, tum
respública in nihilum redigeretur, ac demum nos ipsos in pro-
fundam terræ abyssum præcipitaremus. Quemadmodum
enim navis, vehementi tempestate magis ac magis incru-
descente, perito gubernatore munita, nec illiditur vadò, nec
frāgitur, sed feliciter ad terrā appellitur. Sic studiosa Juventus
immorigera, omnis generis sceleribus ac vitiis scatens, co-
ercetur ac gravibus pœnis afficitur à Rectore Magnifico,
ne se præcipitem det in barathrum inferni, sed ut in
rectam reducatur viam. Gaudemus sane, quod iterum or-
do hujus vel gloriæ vel oneris in dilectissimum Dn. Geni-
torem devolvitur, cui hodierna luce insignia Rectoris Ma-
gnifici quartâ vice jure meritoque offeruntur, & hoc ipso
Dilectiss: Dn. Pater Rector Magnificus omnium voto ac
applausu creatur atque renunciatur, qui sui memor erit

mune-

muneris, innocentes defendendo, nocentes compescendo.
namque ut aqua per se dulcis, effluens inter cadavera ac-
cescit; sic Adolescentes pii ac probi, si malorum jungantur
societati, pice eorum inquinantur. Qui nisi tum ab aliquo
moderatore reducerentur, precipites sane seipsum darent in
gyrum vitiorum. Jubilantes ac gaudentes triumphemus,
quod talis Novus Rector nobis sit datus, qui justitiam om-
nibus administrat, nimirum innocentes tuendo, & nocen-
tes increpando ac puniendo. Gratulor itaq; tibi, Magnif.
Dn. Rector, Pater mi dilectissime, de tanto honore ac im-
perio, exq; intimis cordis mei recessibus exopto, ut istud
imperium, quod singulis mutatur annis, tibi sit felix ac fau-
stum! De cæterò verò Cælum fatigo precibus, ut Deus
ter. Opt. Max. velit Tuam Magnificentiam salvam inco-
lumemq; conservare in nestoreos annos, & ab omnibus
periculis, infortuniis, & malis custodire ac protegere digne-
tur, tandemq; Tuam Magnificentiam ex hac terrestri patria
in cœlestem Patriam serò remigrare patiatur.

*Sic Dilectissimo Dn. Patri ex imo cordis latifundio
gratulatur,*

Obsequiosissimus Filius

GABRIEL ENEVALDI SVENONIUS.

E*gimus in Fabulis Amantissime Domine
Pater, quomodo aquila ferebat unguis te-
studinem, quam rostro sæpè frustratunde-
bat, perfringere enim non poterat. Huic
occurrens cornix dicit talimodo aquilæ: Hera, opus est
consilio, quoniam consilio aguntur majores res quam vi,
Et ideo rogavit aquilam in altissimas cali plagas subuola-*

re & deinde demittere in rupem testudinem, cui aquila
paruit, & quamprimum testudo erat fracta, abstulit cor-
nix cibum. Sed hac nullius valoris; majoribus verò consi-
liis consiliariis opus esse quando imponendum est juven-
ti frenum, potest quidem ille videre qui non cum noctua
est cacus die meridiano. Sed siquidem tu Amantissime
Domine Pater es nunc quartâ vice electus ad suscipienda
Academica Sceptra; ideo non possum quin gratuler Aman-
tissimo Domino patri talem eximium honorem. Salve
ergo Magnifice Domine Rector, Pater Amantissime, Det
Deus tibi felix regimen, quod ex animo voveo, A-
mantissimi Domini Patris

Obedientissimus
NICOLAUS SVENONIUS,
ENEVALDI FILIUS.

Inter tot gratulantium vota, opto & ego quoq;
Amantissimo Domino Patri fortunam præse-
se tam difficili tamen excellenti officio. Lau-
dare charissimi Domini Patris matura consilia
& prudentiam in regimine juventutis non
potest mei intellectus tenuitas, neque opus est loqui, quan-
do res ipsa testatur, nam nunc est Amantissimus Dominus
Pater quartâ vice electus Rector magnificus, ex quibus pos-
simus bene videre, quod Amantissimus Dominus Pater est
prudens ad fungendum tam difficili officio, precor Aman-
tissimo Domino Patri ad hunc actum felicem introitum, regi-
men & egressum, Deo gloriæ, ecclesiæ ædificationi, juventuti
promotioni, & tandem nobis ipsis ornamento & decori.

MICHAEL SVENONIUS, E. F.

